

# **Agamemnon**

Lucius Annaeus Seneca minor

Thyestis Vmbra Opaca linquens Ditis inferni loca,  
 adsum profundo Tartari emissus specu,  
 incertus utras oderim sedes magis:  
 fugio Thyestes inferos, superos fugo.  
 En horret animus et pauor membra excutit: 5  
 uideo paternos, immo fraternos lares.  
 hoc est uetustum Pelopiae limen domus;  
 hinc auspicari regium capiti decus  
 mos est Pelasgis, hoc sedent alti toro  
 quibus superba scepra gestantur manu, 10  
 locus hic habendae curiae--hic epulis locus.  
 Libet reuerti. nonne uel tristes lacus  
 incolere satius? nonne custodem Stygis  
 trigemina nigris colla iactantem iubis  
 \* \* \* \* \* 14a  
 ubi ille celeri corpus euinctus rotae  
 in se refertur, ubi per aduersum irritus  
 redeunte totiens luditur saxo labor,  
 ubi tondet ales auida fecundum iecur,  
 et inter undas feruida exustus siti  
 aquas fugaces ore decepto appetit 20  
 poenas daturus caelitum dapibus graues?  
 Sed ille nostrae pars quota est culpae senex?  
 reputemus omnes quos ob infandas manus  
 quaesitor urna Gnosius uersat reos:  
 uincam Thyestes sceleribus cunctos meis. 25  
 a fratre uincar? liberis plenus tribus  
 in me sepultis? uiscera exedi mea.  
 Nec hactenus Fortuna maculauit patrem,  
 sed maius aliud ausa commisso scelus  
 gnatae nefandos petere concubitus iubet. 30  
 non pavidus hausi dicta, sed cepi nefas.  
 ergo ut per omnis liberos irem parens,  
 coacta fatis gnata fert utero graui  
 me patre dignum. uersa natura est retro:  
 auo parentem, pro nefas, patri uirum, 35  
 gnatis nepotes miscui--nocti diem.  
 Sed sera tandem respicit fessos malis  
 post fata demum sortis incertae fides:  
 rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,  
 cuius secutae mille uexillum rates 40  
 Iliaca uelis maria texerunt suis,  
 post decima Phoebi lustra deuicto Ilio  
 adest--daturus coniugi iugulum suae.  
 Iam iam natabit sanguine alterno domus:  
 enses secures tela, diuisum graui 45

ictu bipennis regium uideo caput;  
 iam scelera prope sunt, iam dolus caedes cruor--  
 parantur epulae. causa natalis tui,  
 Aegisthe, uenit. quid pudor uultus grauat?  
 quid dextra dubio trepida consilio labat? 50  
 quid ipse temet consulis torques rogas,  
 an deceat hoc te? respice ad patrem: decet.  
 Sed cur repente noctis aestiuae uices  
 hiberna longa spatia producunt mora,  
 aut quid cadentes detinet stellas polo? 55  
 Phoebum moramur. redde iam mundo diem.  
 [Chorvs] O regnorum magnis fallax  
 Fortuna bonis,  
 in praecipiti dubioque locas  
 excelsa nimis.  
 Numquam placidam sceptris quietem 60  
 certumue sui tenuere diem:  
 alia ex aliis cura fatigat  
 uexatque animos noua tempestas.  
 non sic Libycis Syrtibus aequor  
 furit alternos uoluere fluctus, 65  
 non Euxini turget ab imis  
 commota uadis  
 unda niuali uicina polo,  
 ubi caeruleis immunis aquis  
 lucida uersat plaustra Bootes, 70  
 ut praecipites regum casus  
 Fortuna rotat.  
 metui cupiunt metuique timent,  
 non nox illis alma recessus  
 praebet tutos,  
 non curarum somnus domitor 75  
 pectora soluit.  
 Quas non arces scelus alternum  
 dedit in praiceps? impia quas non  
 arma fatigant? iura pudorque  
 et coniugii sacrata fides 80  
 fugiunt aulas; sequitur tristis  
 sanguinolenta Bellona manu  
 quaeque superbos urit Erinys,  
 nimias semper comitata domos,  
 quas in planum quaelibet hora 85  
 tulit ex alto.  
 Licet arma uacent cessentque doli,  
 sidunt ipso pondere magna  
 ceditque oneri fortuna suo:  
 uela secundis inflata Notis 90  
 uentos nimium timuere suos;  
 nubibus ipsis inserta caput

turris pluuiio uapulat Austro,  
 densasque nemus spargens umbras  
 annosa uidet robora frangi;                    95  
 feriunt celsos fulmina colles,  
 corpora morbis maiora patent,  
 et cum in pastus armenta uagos  
     uilia currant,  
 placet in uulnus maxima ceruix:                    100  
 quidquid in altum Fortuna tulit,  
     ruitura leuat.  
 Modicis rebus longius aeuum est:  
 felix mediae quisquis turbae  
     sorte quietus  
 aura stringit litora tuta                    105  
 timidusque mari credere cumbam  
 remo terras propiore legit.  
 [Clytemestra] Quid, segnīs anime, tuta consilia expetis?  
 quid fluctuaris? clausa iam melior uia est.  
 licuit pudicos coniugis quondam toros                    110  
 et scepra casta uidua tutari fide;  
 periere mores ius decus pietas fides  
 et qui redire cum perit nescit pudor;  
 da frena et omnem prona nequitiam incita:  
 per scelera semper sceleribus tutum est iter.                    115  
 Tecum ipsa nunc euolue femineos dolos,  
 quod ulla coniunx perfida atque impos sui  
 amore caeco, quod nouercales manus  
 ausae, quod ardens impia uirgo face  
 Phasiaca fugiens regna Thessalica trabe:                    120  
 ferrum, uenena--uel Mycenaeas domos  
 coniuncta socio profuge furtiua rate.  
 Quid timida loqueris furta et exilium et fugas?  
 soror ista fecit: te decet maius nefas.  
 [Nvtrix] Regina Danaum et inclitum Ledaē genus,                    125  
 quid tacita uersas quidue consilii impotens  
 tumido feroces impetus animo geris?  
 licet ipsa sileas, totus in uultu est dolor.  
 proin quidquid est, da tempus ac spatium tibi:  
 quod ratio non quit, saepe sanauit mora.                    130  
 [Cl.] Maiora cruciant quam ut moras possim pati;  
 flammae medullas et cor exurunt meum;  
 mixtus dolori subdidit stimulos timor;  
 inuidia pulsat pectus, hinc animum iugo  
 premit cupido turpis et uinci uetat;                    135  
 et inter istas mentis obsessae faces  
 fessus quidem et deiectus et pessumdatus  
 pudor rebellat. fluctibus uariis agor,  
 ut, cum hinc profundum uentus, hinc aestus rapit,  
 incerta dubitat unda cui cedat malo.                    140

proinde omisi regimen e manibus meis:  
 quocumque me ira, quo dolor, quo spes feret,  
 hoc ire pergam; fluctibus dedimus ratem.  
 ubi animus errat, optimum est casum sequi.  
 [Nvt.] Caeca est temeritas quae petit casum ducem. 145  
 [Cl.] Cui ultima est fortuna, quid dubiam timet?  
 [Nvt.] Tuta est latetque culpa, si pateris, tua.  
 [Cl.] Perlucet omne regiae uitium domus.  
 [Nvt.] Piget prioris et nouum crimen struis?  
 [Cl.] Res est profecto stulta nequitiae modus. 150  
 [Nvt.] Quod metuit auget qui scelus scelere obruit.  
 [Cl.] Et ferrum et ignis saepe medicinae loco est.  
 [Nvt.] Extrema primo nemo temptauit loco.  
 [Cl.] Rapienda rebus in malis praeceps uia est.  
 [Nvt.] At te reflectat coniugi nomen sacrum. 155  
 [Cl.] Decem per annos uidua respiciam uirum?  
 [Nvt.] Meminisse debes sobolis ex illo tuae.  
 [Cl.] Equidem et iugales filiae memini faces  
 et generum Achillem: praestitit matri fidem.  
 [Nvt.] Redemit illa classis immotae moras 160  
 et maria pigro fixa languore impulit.  
 [Cl.] Pudet doletque: Tyndaris, caeli genus,  
 lustrale classi Doricae peperit caput!  
 reuoluit animus uirginis thalamos meae  
 quos ille dignos Pelopia fecit domo, 165  
 cum stetit ad aras ore sacrifico pater  
 quam nuptialis! horruit Calchas suae  
 responsa uocis et recedentes focos.  
 o scelera semper sceleribus uincens domus:  
 cruore uentos emimus, bellum nece! 170  
 sed uela pariter mille fecerunt rates?  
 non est soluta prospero classis deo;  
 eiecit Aulis impias portu rates.  
 Sic auspicatus bella non melius gerit:  
 amore captae captus, immotus prece 175  
 Zminthea tenuit spolia Phoebei senis,  
 ardore sacrae uirginis iam tum furens.  
 non illum Achilles flexit indomitus minis,  
 non ille solus fata qui mundi uidet  
 (in nos fidelis augur, in captas leuis), 180  
 non populus aeger et relucentes rogi;  
 inter ruentis Graeciae stragem ultimam  
 sine hoste uictus marcet ac Veneri uacat  
 reparatque amores; neue desertus foret  
 a paelice umquam barbara caelebs torus, 185  
 ablatam Achilli diligit Lyrnesida  
 nec rapere puduit e sinu auulsam uiri--  
 en Paridis hostem! nunc nouum uulnus gerens  
 amore Phrygiae uatis incensus furit,

et post tropaea Troica ac uersum Ilium 190  
 captae maritus remeat et Priami gener.  
 Accingere, anime: bella non leuia apparatus.  
 scelus occupandum est; pigra, quem expectas diem?  
 Pelopia Phrygiae scepra dum teneant nurus?  
 an te morantur uirgines uiduae domi 195  
 patrique Orestes similis? horum te mala  
 uentura moueant, turbo quis rerum imminet.  
 quid, misera, cessas? [en adest gnatis tuis  
 furens nouerca] per tuum, si aliter nequit,  
 latus exigatur ensis et perimat duos; 200  
 misce cruorem, perde pereundo uirum:  
 mors misera non est commori cum quo uelis.  
 [Nvt.] Regina, frena temet et siste impetus  
 et quanta temptes cogita: uictor uenit  
 Asiae ferocis, ultor Europae, trahit 205  
 captiua Pergama et diu uictos Phrygas;  
 hunc fraude nunc conaris et furto aggredi?  
 quem non Achilles ense uiolauit fero,  
 quamuis procacem toruus armasset manum,  
 non melior Ajax morte decreta furens, 210  
 non sola Danais Hector et bello mora,  
 non tela Paridis certa, non Memnon niger,  
 non Xanthus armis corpora immixta aggerens  
 fluctusque Simois caede purpureos agens,  
 non niuea proles Cycnus aequorei dei, 215  
 non bellicoso Thressa cum Rheso phalanx,  
 non picta pharetras et securigera manu  
 peltata Amazon, hunc domi reducem paras  
 mactare et aras caede maculare impia?  
 Vlrix inultum Graecia hoc facinus feret? 220  
 equos et arma classibusque horrens fretum  
 propone et alto sanguine exundans solum  
 et tota captae fata Dardaniae domus  
 regesta Danais--comprime adfectus truces  
 mentemque tibimet ipsa pacifica tuam. 225  
 [Aegisthvs] Quod tempus animo semper ac mente horru  
 adest profecto, rebus extremum meis.  
 quid terga uertis, anime? quid primo impetu  
 deponis arma? crede perniciem tibi  
 et dira saeuos fata moliri deos: 230  
 oppone cunctis uile suppliciis caput,  
 ferrumque et ignes pectore aduerso excipe,  
 Aegisthe: non est poena sic nato mori.  
 Tu nos pericli socia, tu, Leda sata,  
 comitare tantum: sanguinem reddet tibi 235  
 ignauus iste ductor ac fortis pater.  
 sed quid trementis circuit pallor genas  
 iacensque uultu languido optutus stupet?

[Cl.] Amor iugalis uincit ac flectit retro,  
referimur illuc, unde non decuit prius 240  
abire; sed nunc casta repetatur fides,  
nam sera numquam est ad bonos mores uia:  
quem paenitet peccasse paene est innocens.

[Ae.] Quo raperis amens? credis aut speras tibi  
Agamemnonis fidele coniugium? ut nihil 245  
subesset animo quod graues faceret metus,  
tamen superba et impotens flatu nimis  
Fortuna magno spiritus tumidos daret.  
grauis ille sociis stante adhuc Troia fuit:  
quid rere ad animum suapte natura trucem 250  
Troiam addidisse? rex Mycenarum fuit,  
ueniet tyrannus: prospera animos efferunt.  
Effusa circa paelicum quanto uenit  
turba apparatu! sola sed turba eminent  
tenetque regem famula ueridici dei. 255  
feresne thalami uicta consortem tui?  
at illa nolet. ultimum est nuptae malum  
palam maritam possidens paelex domum.  
nec regna socium ferre nec taedae sciunt.

[Cl.] Aegisthe, quid me rursus in praeceptis agis 260  
iramque flammis iam residentem incitas?  
permisit aliquid uictor in captam sibi:  
nec coniugem hoc respicere nec dominam decet.  
lex alia solio est, alia priuato in toro.  
quid, quod seueras ferre me leges uiro 265  
non patitur animus turpis admissi memor?  
det ille ueniam facile cui uenia est opus.

[Ae.] Ita est? pacisci mutuam ueniam licet?  
ignota tibi sunt iura regnorum aut noua?  
nobis maligni iudices, aequi sibi, 270  
id esse regni maximum pignus putant,  
si quidquid aliis non licet solis licet.

[Cl.] \* \* \* 272a  
ignouit Helenae: iuncta Menelao redit  
quae Europam et Asiam paribus afflixit malis.

[Ae.] Sed nulla Atriden Venere furtiua abstulit 275  
nec cepit animum coniugi obstrictum suae.  
iam crimen ille quaerit et causas parat.  
nil esse crede turpe commissum tibi:  
quid honesta prodest uita, flagitio uacans?  
ubi dominus odit, fit nocens, non quaeritur. 280  
Spartenne repetes sprete et Eurotan tuum  
patriasque sedes profuga? non dant exitum  
repudia regum: spe metus falsa leuas.

[Cl.] Delicta nouit nemo nisi fidus mea.  
[Ae.] Non intrat umquam regium limen fides. 285  
[Cl.] Opibus merebor, ut fidem pretio obligem.

[Ae.] Pretio parata uincitur pretio fides.  
[Cl.] Surgit residuus pristinae mentis pudor;  
quid obstrepis? quid uoce blandiloqua mala  
consilia dictas? scilicet nubam tibi, 290  
regum relicto rege, generosa exuli?  
[Ae.] Et cur Atrida uideor inferior tibi,  
gnatus Thyestae? [Cl.] Si parum est, adde et nepos.  
[Ae.] Auctore Phoebos gignor; haud generis pudet.  
[Cl.] Phoebum nefandae stirpis auctorem uocas, 295  
quem nocte subita frenas reuocantem sua  
caelo expulstis? quid deos probro addimus?  
subripere doctus fraude geniales toros,  
quem Venere tantum scimus inlicita uirum,  
facesse prope ac dedecus nostrae domus 300  
asportata ab oculis: haec uacat regi ac uiro.  
[Ae.] Exilia mihi sunt haud noua; assueui malis.  
si tu imperas, regina, non tantum domo  
Argisue cedo: nil moror iussu tuo  
aperire ferro pectus aerumnis graue. 305  
[Cl.] Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam.  
quae iuncta peccat debet et culpae fidem.  
secede mecum potius, ut rerum statum  
dubium ac minacem iuncta consilia explicant.  
[Chorus] Canite, o pubes inclita, Phoebum! 310  
tibi festa caput turba coronat,  
tibi uirgineas laurum quatiens  
de more comas  
innuba fudit stirps Inachia.  
Tu quoque nostros, Thespias hospes, 315  
comitare choros,  
quaeque Erasini gelidos fontes,  
quaeque Eurotan,  
quaeque uirenti tacitum ripa  
bibis Ismenon,  
quam fatorum praescia Manto,  
sata Tiresia, 320  
Latonigenas monuit sacris  
celebrare deos.  
Arcus, uictor, pace relata,  
Phoebe, relaxa  
umeroque graues leuibus telis  
pone pharetras 325  
resonetque manu pulsa citata  
uocale chelys:  
nil acre uelim magnumque modis  
intonet altis,  
sed quale soles leuiore lyra  
flectere carmen 330  
simplex, lusus cum docta tuos

Musa recenset.  
 licet et chorda grauiore sonos,  
     quale canebas  
 cum Titanas fulmine uictos  
     uidere dei,  
 uel cum montes montibus altis                   335  
     super impositi  
 struxere gradus trucibus monstris,  
 stetit imposita Pelion Ossa,  
 pinifer ambos pressit Olympus.  
     Ades, o magni, soror et coniunx,                   340  
 consors sceptri, regia Iuno:  
 tua te colimus turba Mycenae,  
 tu sollicitum supplexque tui  
 numinis Argos sola tueris,  
 tu bella manu pacemque geris;                   345  
 tu nunc laurus Agamemnonias  
     accipe uictrix.  
 Tibi multifora tibia buxo  
     sollemne canit,  
 tibi fila mouent docta puellae  
     carmine molli,                   350  
 tibi uotiuam matres Graiae  
     lampada iactant:  
 ad tua coniunx candida tauri  
 delubra cadet nescia aratri,  
 nullo collum signata iugo.                   355  
     Tuque, o magni gnata Tonantis,  
     incluta Pallas,  
 quae Dardanias saepe petisti  
     cuspide tures,  
 te permixto matrona minor  
     maiorque choro                   360  
 colit et reserat ueniente dea  
     templa sacerdos:  
 tibi nexilibus turba coronis  
     redimita uenit,  
 tibi grandaeui lassique senes  
 compote uoto reddunt grates                   365  
 libantque manu uina trementi.  
     Et te Triuiam nota memores  
     uoce precamur:  
 tu maternam sistere Delon,  
     Lucina, iubes,  
 huc atque illuc prius errantem                   370  
     Cyclada uentis;  
 nunc iam stabilis fixa terras  
     radice tenet,  
 respuit auras religatque rates

assueta sequi.  
 tu Tantalidos funera matris 375  
 uictrix numeras:  
 stat nunc Sipyli uertice summo  
 flebile saxum  
 et adhuc lacrimas marmora fundunt  
 antiqua nouas.  
 colit impense femina uirque 380  
 numen geminum.  
 Tuque ante omnis, pater ac rector  
 fulmine pollens,  
 cuius nutu simul extremi  
 tremuere poli,  
 generis nostri, Iuppiter, auctor, 385  
 cape dona libens  
 abausque tuam non degenerem  
 respice prolem.  
 Sed ecce, uasto concitus miles gradu  
 manifesta properat signa laetitiae ferens  
 (namque hasta summo lauream ferro gerit) 390  
 fidusque regi semper Eurybates adest.  
 [Eurybates] Delubra et aras caelitum et patrios lares  
 post longa fessus spatia, uix credens mihi,  
 supplex adoro. uota superis soluite:  
 telluris altum remeat Argolicae decus 395  
 tandem ad penates uictor Agamemnon suos.  
 [Clytemestra] Felix ad aures nuntius uenit meas.  
 ubinam petitus per decem coniunx mihi  
 annos moratur? pelagus an terras premit?  
 [Ev.] Incolumis, auctus gloria, laude inclitus 400  
 reducem expetito litori impressit pedem.  
 [Cl.] Sacris colamus prosperum tandem diem  
 et si propitios attamen lentos deos.  
 Tu pande uiuat coniugis frater mei  
 et pande teneat quas soror sedes mea. 405  
 [Ev.] Meliora uotis posco et obtestor deos:  
 nam certa fari sors maris dubii uetat.  
 ut sparsa tumidum classis excepit mare,  
 ratis uidere socia non potuit ratem.  
 quin ipse Atrides aequare immenso uagus 410  
 grauiora pelago damna quam bello tulit  
 remeatque uicto similis, exiguas trahens  
 lacerasque uictor classe de tanta rates.  
 [Cl.] Quis fare nostras hauserit casus rates  
 aut quae maris fortuna dispulerit duces. 415  
 [Ev.] Acerba fatu poscis, infaustum iubes  
 miscere laeto nuntium. refugit loqui  
 mens aegra tantis atque inhorrescit malis.  
 [Cl.] Exprome: clades scire qui refugit suas

grauat timorem; dubia plus torquent mala. 420  
 [Ev.] Vt Pergamum omne Dorica cecidit face,  
 diuisa praeda est, maria properantes petunt.  
 iamque ense fessum miles exonerat latus,  
 neglecta summas scuta per puppes iacent;  
 ad militares remus aptatur manus 425  
 omnisque nimium longa properanti mora est.  
 signum recursus regia ut fulsit rate  
 et clara laetum remigem monuit tuba,  
 aurata primas prora designat uias  
 aperitque cursus, mille quos puppes secent. 430  
 Hinc aura primo lenis impellit rates  
 adlapsa uelis; unda uix actu leui  
 tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit,  
 splendetque classe pelagus et pariter latet.  
 iuuat uidere nuda Troiae litora, 435  
 iuuat relictis sola Sigei loca.  
 properat iuuentus omnis adductos simul  
 lentare remos, adiuuat uentos manu  
 et ualida nisu brachia alterno mouet.  
 sulcata uibrant aequora et latera increpant 440  
 dirimuntque canae caerulum spumae mare.  
 Vt aura plenos fortior tendit sinus,  
 posuere tonsas, credita est uento ratis  
 fususque transtris miles aut terras procul,  
 quantum recedunt uela, fugientes notat, 445  
 aut bella narrat: Hectoris fortis minas  
 currusque et empto redditum corpus rogo,  
 sparsum cruore regis Herceum Iouem.  
 tunc qui iacente reciprocus ludit salo  
 tumidumque pando transilit dorso mare 450  
 Tyrrhenus omni piscis exultat freto  
 agitatque gyros et comes lateri adnatat,  
 anteire naues laetus et rursus sequi;  
 nunc prima tangens rostra lasciuit chorus,  
 millesimam nunc ambit et lustrat ratem. 455  
 iam litus omne tegitur et campi latent  
 et dubia pereunt montis Idaei iuga;  
 et uix (quod unum peruicax acies uidet)  
 Iliacus atra fumus apparet nota.  
 Iam lassa Titan colla releuabat iugo, 460  
 in astra iam lux prona, iam praeceps dies:  
 exigua nubes sordido crescens globo  
 nitidum cadentis inquinat Phoebi iubar;  
 suspecta uariis occidens fecit freta.  
 nox prima caelum sparserat stellis, iacent 465  
 deserta uento uela. tum murmur graue,  
 maiora minitans, collibus summis cadit  
 tractuque longo litus ac petrae gemunt;

agitata uentis unda uenturis tumet:  
 cum subito luna conditur, stellae latent; 470  
 nec una nox est: densa tenebras obruit 472  
 caligo et omni luce subducta fretum  
 caelumque miscet. undique incumbunt simul  
 rapiuntque pelagus infimo euersum solo 475  
 aduersus Euro Zephyrus et Boreae Notus.  
 sua quisque mittunt tela et infesti fretum  
 emoliuntur, turbo conuoluit mare:  
 Strymonius altas Aquilo contorquet niues  
 Libycusque harenas Auster ac Syrtes agit, 480  
 [nec manet in Austro; fit grauis nimbis Notus]  
 imbre auget undas; Eurus orientem mouet  
 Nabataea quatiens regna et Eoos sinus.  
 quid rabidus ora Corus Oceano exerens?  
 mundum reuelli sedibus totum suis 485  
 ipsosque rupto crederes caelo deos  
 decidere et atrum rebus induci chaos.  
 uento resistit aestus et uentus retro  
 aestum reuoluit; non capit sese mare:  
 in astra pontus tollitur, caelum perit 471  
 undasque miscent imber et fluctus suas. 490  
 nec hoc leuamen denique aerumnis datur,  
 uidere saltem et nosse quo pereant malo:  
 premunt tenebrae lumina et dirae Stygis  
 inferna nox est. excidunt ignes tamen  
 et nube dirum fulmen elisa micat; 495  
 miserisque lucis tanta dulcedo est malae:  
 hoc lumen optant. Ipsa se classis premit  
 et prora prorae nocuit et lateri latus.  
 illam dehiscens pontus in praeceps rapit  
 hauritque et alto redditam reuomit mari; 500  
 haec onere sidit, illa conuulsum latus  
 submittit undis, fluctus hanc decimus tegit;  
 haec lacera et omni decore populato leuis  
 fluitat nec illi uela nec tonsae manent  
 nec rectus altus malus antemnas ferens, 505  
 sed trunca toto puppis Ionio natat.  
 Nil ratio et usus audet: ars cessit malis;  
 tenet horror artus, omnis officio stupet  
 nauita relicto, remus effugit manus.  
 in uota miseros ultimus cogit timor 510  
 eademque superos Troes et Danai rogant.  
 quid fata possunt! inuidet Pyrrhus patri,  
 Aiaci Vlixes, Hectori Atrides minor,  
 Agamemno Priamo: quisquis ad Troiam iacet  
 felix uocatur, cadere qui meruit gradu, 515  
 quem fama seruat, uicta quem tellus tegit.  
 ' Nil nobis ausos pontus atque undae ferent?

ignaua fortes fata consument uiros?  
 perdenda mors est? quisquis es, nondum malis  
 satiate tantis, caelitem, tandem tuum 520  
 numen serena: cladibus nostris daret  
 uel Troia lacrimas. odia si durant tua  
 placetque mitti Doricum exitio genus,  
 quid hos simul perire nobiscum iuuat,  
 quibus perimus? sistite infestum mare: 525  
 uehit ista Danaos classis? et Troas uehit!  
 nec plura possunt: occupat uocem mare.  
 Ecce alia clades. fulmine irati Iouis  
 armata Pallas quidquid aut hasta minax  
 aut aegide et furore Gorgoneo potest, 530  
 hoc igne patrio temptat, et caelo nouae  
 spirant procellae. solus inuictus malis  
 luctatur Ajax. uela cogentem hunc sua  
 tento rudente flamma perstrinxit cadens.  
 libratur aliud fulmen: hoc toto impetu 535  
 certum reducta Pallas excussit manu,  
 imitata patrem. transit Aiace[m] et ratem  
 ratisque partem secum et Aiace[m] tulit.  
 nil ille motus, ardua ut cautes, salo  
 ambustus extat, dirimit insanum mare 540  
 fluctusque rumpit pectore et nauem manu  
 complexus ignes traxit et caeco mari  
 conlucet Ajax; omne resplendet fretum.  
 Tandem occupata rupe furibundum intonat:  
 'supra~~se~~asse ~nunc pelagus atque ignes iuuat, 545  
 uicisse caelum Palladem fulmen mare.  
 non me fugauit bellici terror dei,  
 [et Hectorem una solus et Martem tuli]  
 Phoebea nec me tela pepulerunt gradu: 550  
 cum Phrygibus istos uicimus--tene horream  
 aliena inertis tela iaculantem manu?  
 quid si ipse mittat?' plura cum auderet furens,  
 tridente rupem subruit pulsam pater  
 Neptunus imis exerens undis caput  
 soluitque montem; quem cadens secum tulit 555  
 terraque et igne uictus et pelago iacet.  
 Nos alia maior naufragos pestis uocat.  
 est humilis unda, scrupulis mendax uadis,  
 ubi saxa rapidis clausa uerticibus tegit  
 fallax Caphereus; aestuat scopulis fretum 560  
 feruetque semper fluctus alterna uice.  
 arx imminet praerupta quae spectat mare  
 utrimque geminum: Pelopis hinc oras tui  
 et Isthmon, arto qui recuruatus solo  
 Ionia iungi maria Phryxideis uetat, 565  
 hinc scelere Lemnon nobilem, hinc Anthedona

tardamque ratibus Aulida: hanc arcem occupat  
 Palamedis ille genitor et clarum manu  
 lumen nefanda uertice e summo efferens  
 in saxa ducit perfida classem face. 570  
 haerent acutis rupibus fixae rates;  
 has inopis undae breuia comminuunt uada,  
 pars uehitur huius prima, pars scopulo sedet;  
 hanc alia retro spatia relegentem ferit  
 et fracta frangit. iam timent terram rates 575  
 et maria malunt. cecidit in lucem furor:  
 postquam litatum est Ilio, Phoebus redit  
 et damna noctis tristis ostendit dies.  
 [Cl.] Vtrumne doleam laeter an reducem uirum?  
 remeasse laetor, uulnus et regni graue 580  
 lugere cogor. redde iam Graiis, pater  
 altisona quatiens regna, placatos deos.  
 nunc omne laeta fronde ueletur caput,  
 sacrificia dulces tibia effundat modos  
 et niuea magnas uictima ante aras cadat. 585  
 Sed ecce, turba tristis incomptae comas  
 Iliades adsunt, quas super celso gradu  
 effrena Phoebas entheas laurus quatit.  
 [Chorvs] Heu quam dulce malum mortalibus additum  
 uitae dirus amor, cum pateat malis 590  
 effugium et miseros libera mors uocet,  
 portus aeterna placidus quiete.  
 nullus hunc terror nec impotentis  
 procella Fortunae mouet aut iniqui  
 flamma Tonantis. 595  
 pax alta nullos ciuium coetus  
 timet aut minaces uictoris iras,  
 non maria asperis insana Coris,  
 non acies feras puluereamue nubem  
 motam barbaricis equitum cateruis, 600  
 non urbe cum tota populos cadentis  
 hostica muros populante flamma  
 indomitumque bellum.  
 Solus seruitium perrumpet omne  
 contemptor leuium deorum, 605  
 qui uultus Acherontis atri,  
 qui Styga tristem non tristis uidet  
 audetque uitae ponere finem:  
 par ille regi, par superis erit.  
 o quam miserum est nescire mori! 610  
 Vidimus patriam ruentem  
 nocte funesta, cum Dardana tecta  
 Dorici raperetis ignes.  
 non illa bello uicta, non armis,  
 ut quondam Herculea cecidit pharetra;

quam non Pelei Thetidisque natus 615  
 carusque Pelidae nimium feroci  
 uicit, acceptis cum fulsit armis  
 fuditque Troas falsus Achilles,  
 aut cum ipse Pelides animos feroces  
 sustulit luctu celeremque saltu 620  
 Troades summis timuere muris,  
 perdidit in malis extremum decus  
 fortiter uinci: restitit annis  
 Troia bis quinis unius noctis  
 peritura furto.  
 Vidimus simulata dona 625  
 molis immensae Danaumque  
 fatale munus duximus nostra  
 creduli dextra tremuitque saepe  
 limine in primo sonipes cauernis  
 conditos reges bellumque gestans. 630  
 et licuit dolos uersare ut ipsi  
 fraude sua caderent Pelasgi:  
 saepe commotae sonuere parmae  
 tacitumque murmur percussit aures,  
 ut fremuit male subdolo 635  
 parens Pyrrhus Vlixi.  
 Secura metus Troica pubes  
 sacros gaudet tangere funes.  
 hinc aequaeui gregis Astyanax,  
 hinc Haemonio desponsa rogo 640  
 ducunt turmas, haec femineas,  
 ille uiriles.  
 festae matres uotiuua ferunt  
 munera diuis,  
 festi patres adeunt aras; 645  
 unus tota est uultus in urbe;  
 et, quod numquam post Hectoreos  
 uidimus ignes, laeta est Hecabe.  
 Quid nunc primum, dolor infelix,  
 quidue extremum deflere paras? 650  
 moenia diuum fabricata manu,  
 diruta nostra?  
 an templa deos super usta suos?  
 non uacat istis lacrimare malis:  
 te, magne parens, flent Iliades. 655  
 uidi, uidi senis in iugulo  
 telum Pyrrhi uix exiguo  
 sanguine tingui.  
 [Cassandra] Cohibete lacrimas omne quas tempus petet,  
 Troades, et ipsae uestra lamentabili 660  
 lugete gemitu funera: aerumnae meae  
 socium recusant. cladibus questus meis

remouete: nostris ipsa sufficiam malis.  
 [Cho.] Lacrimas lacrimis miscere iuuat:  
 magis exurunt quos secretae                    665  
     lacerant curae,  
 iuuat in medium deflere suos.  
 Nec tu, quamuis dura uirago  
     patiensque mali,  
 poteris tantas flere ruinas.  
 non quae uerno mobile carmen                670  
 ramo cantat tristis aedon  
 Ityn in uarios modulata sonos,  
 non quae tectis Bistonis ales  
 residens summis impia diri  
 furta mariti garrula narrat,                675  
 lugere tuam poterit digne  
     conquesta domum,  
 licet ipse uelit clarus niueos  
 inter olores Histrum cycnus  
 Tanainque colens extrema loqui,            680  
 licet alcyones Ceyca suum  
 fluctu leuiter plangente sonent,  
 cum tranquillo male confisae  
 credunt iterum pelago audaces  
 fetusque suos nido pauidae                685  
     titubante fouent,  
 non si molles imitata uiros  
 tristis laceret bracchia tecum  
 quae turratae turba parenti  
 pectora rauco concita buxo  
 ferit ut Phrygium lugeat Attin.            690  
 non est lacrimis, Cassandra, modus,  
 quia quae patimur uicere modum.  
     Sed cur sacratas deripis capiti infulas?  
 miseris colendos maxime superos putem.  
 [Ca.] Vicere nostra iam metus omnis mala.            695  
 equidem nec ulla caelites placo prece  
 nec, si uelint saeuire, quo noceant habent.  
 Fortuna uires ipsa consumpsit suas.  
 quae patria restat, quis pater, quae iam soror?  
 bibere tumuli sanguinem atque arae meum.            700  
 quid illa felix turba fraterni gregis?  
 exhausta nempe: regia miseri senes  
 uacua relictis, totque per thalamos uident  
 praeter Lacaenam ceteras uiduas nurus.  
 tot illa regum mater et regimen Phrygum,            705  
 fecunda in ignes Hecuba fatorum nouas  
 experta leges induit uultos feros:  
 circa ruinas rabida latrauit suas,  
 Troiae superstes, Hectori, Priamo, sibi.

[Cho.] Silet repente Phoebas et pallor genas 710  
creberque totum possidet corpus tremor;  
stetere uittae, mollis horrescit coma,  
anhela corda murmure incluso fremunt,  
incerta nutant lumina et uersi retro  
torquentur oculi, rursus immoti rigent. 715  
nunc leuat in auras altior solito caput  
graditurque celsa, nunc reluctantis parat  
reserare fauces, uerba nunc clauso male  
custodit ore maenas impatiens dei.

[Ca.] Quid me furoris incitam stimulus noui, 720  
quid mentis inopem, sacra Parnasi iuga,  
rapitis? recede, Phoebe, iam non sum tua,  
extingue flammam pectori infixam meo.  
cui nunc uagor uesana? cui Bacchor furens?  
iam Troia cecidit--falsa quid uates agor? 725

Vbi sum? fugit lux alma et obscurat genas  
nox alta et aether abditus tenebris latet.  
sed ecce gemino sole praefulget dies  
geminumque duplices Argos attollit domus.  
Idaea cerno nemora: fatalis sedet 730  
inter potentes arbiter pastor deas.  
timete, reges, moneo, furtiuum genus:  
agrestis iste alumnus euertet domum.  
Quid ista uecors tela feminea manu  
detracta praefert? quem petit dextra uirum 735  
Lacaena cultu, ferrum Amazonium gerens?  
quae uersat oculos alia nunc facies meos?  
uictor ferarum colla sublimis iacet  
ignobili sub dente Marmaricus leo,  
morsus cruentos passus audacis leae. 740

Quid me uocatis sospitem solam e meis,  
umbrae meorum? te sequor, tota pater  
Troia sepulte; frater, auxilium Phrygum  
terrorque Danaum, non ego antiquum decus  
uideo aut calentes ratibus exustis manus, 745  
sed lacera membra et saucios uincolo graui  
illos lacertos. te sequor, nimium cito  
congressu Achilli Troile; incertos geris,  
Deiphobe, uultus, coniugis munus nouae.  
iuuat per ipsos ingredi Stygios lacus, 750  
iuuat uidere Tartari saeuum canem  
audique regna Ditis! haec hodie ratis  
Phlegethontis atri regias animas uehet,  
uictamque uicticemque. uos, umbrae, precor,  
iurata superis unda, te pariter precor: 755  
reserate paulum terga nigrantis poli,  
leuis ut Mycenae turba prospiciat Phrygum.  
spectate, miseri: fata se uertunt retro.

Instant sorores squalidae,  
anguinea iactant uerbera, 760  
fert laeua semustas faces  
turgentque pallentes genae  
et uestis atri funeris  
exesa cingit ilia

\* \* \* \* \* 764a

strepuntque nocturni metus  
et ossa uasti corporis  
corrupta longinquo situ  
palude limosa iacent.

Et ecce, defessus senex  
ad ora ludentes aquas 770  
non captat oblitus sitim,  
maestus futuro funere.  
exultat et ponit gradus  
pater decoros Dardanus.

[Cho.] Iam peruagatus ipse se fregit furor, 775  
cadique flexo qualis ante aras genu  
ceruice taurus uulnus incertum gerens.  
releuemus artus.--En deos tandem suos  
uictrice lauru cinctus Agamemnon adit,  
et festa coniunx obuios illi tulit 780  
gressus reditque iuncta concordi gradu.

[Agamemnon] Tandem reuertor sospes ad patrios lares;  
o cara salue terra! tibi tot barbarae  
dedere gentes spolia, tibi felix diu  
potentis Asiae domina summisit manus. 785

Quid ista uates corpus effusa ac tremens  
dubia labat ceruice? famuli, attollite,  
refouete gelido latice. iam recipit diem  
marcente uisu. Suscita sensus tuos:  
optatus ille portus aerumnis adest. 790  
festus dies est. [Ca.] Festus et Troiae fuit.

[Ag.] Veneremur aras. [Ca.] Cecidit ante aras pater.  
[Ag.] Iouem precemur pariter. [Ca.] Herceum Iouem?  
[Ag.] Credis uidere te Ilium? [Ca.] Et Priamum simul.  
[Ag.] Hic Troia non est. [Ca.] Vbi Helena est, Troiam puta. 795  
[Ag.] Ne metue dominam famula. [Ca.] Libertas adest.  
[Ag.] Secura uiue. [Ca.] Mihi mori est securitas.  
[Ag.] Nullum est periculum tibimet. [Ca.] At magnum tibi.  
[Ag.] Victor timere quid potest? [Ca.] Quod non timet.  
[Ag.] Hanc fida famuli turba, dum excutiat deum, 800  
retinete ne quid impotens peccet furor.

At te, pater, qui saeua torques fulmina  
pellisque nubes, sidera et terras regis,  
ad quem triumpho spolia uictores ferunt,  
et te sororem cuncta pollentis uiri, 805  
Argolica Iuno, pecore uotiuo libens

Arabumque donis supplice et fibra colam.  
 [Chorvs] Argos nobilibus nobile ciuibus,  
 Argos iratae carum nouercae,  
 semper ingentes educas alumnos, 810  
 imparem aequasti numerum deorum:  
 tuus ille bis seno meruit labore  
 adlegi caelo magnus Alcides,  
 cui lege mundi Iuppiter rupta  
 roscidae noctis geminauit horas 815  
 iussitque Phoebum  
 tardius celeres agitare currus  
 et tuas lente remeare bigas,  
 candida Phoebe.  
 \* \* \* rettulitque pedem  
 nomen alternis stella quae mutat 820  
 seque mirata est Hesperum dici.  
 Aurora mouit  
 ad solitas uices caput et relabens  
 imposuit seni collum marito.  
 Sensit ortus, sensit occasus  
 Herculem nasci: uiolentus ille 825  
 nocte non una poterat creari.  
 tibi concitatus substitit mundus,  
 o puer subiture caelum.  
 Te sensit Nemeaeus arto  
 pressus lacerto fulmineus leo 830  
 ceruaque Parrhasis,  
 sensit Arcadii populator agri  
 gemuitque taurus Dictaea linquens  
 horridus arua.  
 Morte fecundum domuit draconem 835  
 uetuitque collo pereunte nasci,  
 geminosque fratres  
 pectore ex uno tria monstra natos  
 stipite incusso fregit insultans  
 duxitque ad ortus Hesperium pecus, 840  
 Geryonae spolium triformis.  
 Egit Threicium gregem,  
 quem non Strymonii gramine fluminis  
 Hebriue ripis pauit tyrannus:  
 hospitum dirus stabulis cruorem 845  
 praebuit saeuis tinxitque crudos  
 ultimus rictus sanguis aurigae.  
 Vidit Hippolyte ferox  
 pectore e medio rapi  
 spolium, et sagittis nube percussa 850  
 Stymphalis alto decidit caelo  
 arborque pomis fertilis aureis  
 extimuit manus insueta carpi

fugitque in auras leuiore ramo.  
 audiuit sonitum crepitante lamna 855  
 frigidus custos nescius somni,  
 linqueret cum iam nemus omne fuluo  
 plenus Alcides uacuum metallo.  
 Tractus ad caelum canis inferorum  
 triplici catena tacuit nec ullo 860  
 latrauit ore,  
 lucis ignotae metuens colorem.  
 Te duce succidit  
 mendax Dardanidae domus  
 et sensit arcus iterum timendos;  
 te duce concidit totidem diebus 865  
 Troia quot annis.  
 [Ca.] Res agitur intus magna, par annis decem.  
 eheu quid hoc est? anime, consurge et cape  
 pretium furoris: uicimus uicti Phryges.  
 bene est, resurgis Troia; traxisti iacens 870  
 pares Mycenae, terga dat uictor tuus!  
 Tam clara numquam prouidae mentis furor  
 ostendit oculis: uideo et intersum et fruor;  
 imago uisus dubia non fallit meos:  
 spectemus! epulae regia instructae domo, 875  
 quales fuerunt ultimae Phrygibus dapes,  
 celebrantur: ostro lectus Iliaco nitet  
 merumque in auro ueteris Assaraci trahunt.  
 et ipse picta ueste sublimis iacet,  
 Priami superbas corpore exuuias gerens. 880  
 Detrahere cultus uxor hostiles iubet,  
 induere potius coniugis fidae manu  
 textos amictus--horreo atque animo tremo:  
 regemne perimet exul et adulter uirum?  
 uenere fata. sanguinem extremae dapes 885  
 domini uidebunt et cruor Baccho incidet.  
 Mortifera uinctum perfidae tradit neci  
 induta uestis: exitum manibus negant  
 caputque laxi et inuui cludunt sinus.  
 haurit trementi semiuir dextra latus, 890  
 nec penitus egit: uulnere in medio stupet.  
 At ille, ut altis hispidus siluis aper  
 cum casse uinctus temptat egressus tamen  
 artatque motu uincla et in cassum furit,  
 cupit fluentes undique et caecos sinus 895  
 dissicere et hostem quaerit implicitus suum.  
 Armat bipenni Tyndaris dextram furens,  
 qualisque ad aras colla taurorum prius  
 designat oculis \* \* \* \*  
 \* \* \* antequam ferro petat,  
 sic huc et illuc impiam librat manum. 900

habet, peractum est. pendet exigua male  
 caput amputatum parte et hinc trunco cruor  
 exundat, illinc ora cum fremitu iacent.  
 Nondum recedunt: ille iam exanimem petit  
 laceratque corpus, illa fodientem adiuuat. 905  
 uterque tanto scelere respondet suis:  
 est hic Thyestae natus, haec Helenae soror.  
 Stat ecce Titan dubius emerito die,  
 suane currat an Thyestea uia.  
 [Electra] Fuge, o paternae mortis auxilium unicum, 910  
 fuge et scelestas hostium euita manus.  
 euersa domus est funditus, regna occidunt.  
 Quis iste celeres concitus currus agit?  
 germane, uultus ueste furabor tuos.  
 quid, anime demens, refugis? externos times? 915  
 domus timenda est. pone iam trepidos metus,  
 Oresta: amici fida praesidia intuo.  
 [Strophivus] Phocide relicta Strophivus Elea inclutus  
 palma reuertor. causa ueniendi fuit  
 gratari amico, cuius impulsus manu 920  
 cecidit decenni Marte concussum Ilium.  
 Quaenam ista lacrimis lugubrem uultum rigat  
 pauetque maesta? regium agnosco genus.  
 Electra, fletus causa quae laeta in domo est?  
 [El.] Pater peremptus scelere materno iacet, 925  
 comes paternae quaeritur natus neci,  
 Aegisthus arces Venere quaesitas tenet.  
 [St.] O nulla longi temporis felicitas!  
 [El.] Per te parentis memoriam obtestor mei,  
 per sceptrum terris nota, per dubios deos: 930  
 recipe hunc Orestem ac pium furtum occulte.  
 [St.] Etsi timendum caesus Agamemnon docet,  
 aggrediar et te, Oresta, furabor libens.  
 [fidem secunda poscunt, aduersa exigunt]  
 cape hoc decorum ludicri certaminis, 935  
 insigne frontis; laeua uictricem tenens  
 frondem uirenti protegat ramo caput,  
 et ista donum palma Pisaei Iouis  
 uelamen eadem praestet atque omen tibi.  
 Tuque, o paternis assidens frenis comes, 940  
 condisce, Pylade, patris exemplo fidem.  
 Vos Graecia nunc teste ueloces equi  
 infida cursu fugite praecipiti loca.  
 [El.] Excessit, abiit, currus effreno impetu  
 effugit aciem. tuta iam opperiar meos 945  
 hostes et ultro uulneri opponam caput.  
 Adest cruenta coniugis uictrix sui,  
 et signa caedis ueste maculata gerit.  
 manus recenti sanguine etiam nunc madent

uultusque prae se scelera truculenti ferunt. 950  
concedam ad aras.--Patere me uittis tuis,  
Cassandra, iungi paria metuentem tibi.

[Clytemestra] Hostis parentis, impium atque audax caput,  
quo more coetus publicos uirgo petis?

[El.] Adulterorum uirgo deserui domum. 955  
[Cl.] Quis esse credat uirginem--[El.] Gnatam tuam?  
[Cl.] Modestius cum matre. [El.] Pietatem doces?  
[Cl.] Animos uiriles corde tumefacto geris;  
sed agere domita feminam disces malo.

[El.] Nisi forte fallor, feminas ferrum decet. 960  
[Cl.] Et esse demens te parem nobis putas?  
[El.] Vobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?  
ut uidua loquere: uir caret uita tuus.  
[Cl.] Indomita posthac uirginis uerba impiae  
regina frangam; citius interea mihi 965  
edissere ubi sit gnatus, ubi frater tuus.

[El.] Extra Mycenae. [Cl.] Redde nunc gnatum mihi.  
[El.] Et tu parentem redde. [Cl.] Quo latitat loco?  
[El.] Tuto quietus, regna non metuens noua:  
iustae parenti satis. [Cl.] At iratae parum. 970  
morieris hodie. [El.] Dummodo hac moriar manu.  
recedo ab aris. siue te iugulo iuuat  
mersisse ferrum, praebeo iugulum tibi;  
seu more pecudum colla resecari placet,  
intenta ceruix uulnus expectat tuum. 975  
scelus paratum est: caede respersam uiri  
atque obsoletam sanguine hoc dextram ablu.

[Cl.] Consors pericli pariter ac regni mei,  
Aegisthe, gradere. gnata genetricem impie  
probris lacessit, occulit fratrem abditum. 980

[Aegisthus] Furibunda uirgo, uocis infandae sonum  
et aure uerba indigna materna opprime.

[El.] Etiam monebit sceleris infandi artifex,  
per scelera natus, nomen ambiguum suis,  
idem sororis gnatus et patris nepos? 985  
[Cl.] Aegisthe, cessas impium ferro caput  
demetere? fratrem reddat aut animam statim.

[Ae.] Abstrusa caeco carcere et saxo exigat  
aeuum; per omnes torta poenarum modos  
referre quem nunc occulit forsan uolet. 990  
inops egens inclusa, paedore obruta,  
uidua ante thalamos, exul, inuisa omnibus  
aethere negato sero subcumbet malis.

[El.] Concede mortem. [Ae.] Si recusares, darem:  
rudis est tyrannus morte qui poenam exigit. 995  
[El.] Mortem aliquid ultra est? [Ae.] Vita, si cupias mori.--  
Abripite, famuli, monstrum et auectam procul  
ultra Mycenae ultimo in regni angulo

uincite saeptam nocte tenebrosi specus,  
ut inquietam uirginem carcer domet. 1000  
[Cl.] At ista poenas capite persoluet suo  
captiua coniunx, regii paelex tori.  
trahite, ut sequatur coniugem ereptum mihi.  
[Ca.] Ne trahite, uestros ipsa praecedam gradus.  
perferre prima nuntium Phrygibus meis 1005  
propero: repletum ratibus euersis mare,  
captas Mycenas, mille ductorem ducum,  
ut paria fata Troicis lueret malis,  
perisse dono, feminae stupro, dolo.  
nihil moramur, rapite, quin grates ago: 1010  
iam, iam iuuat uixisse post Troiam, iuuat.  
[Cl.] Furiosa, morere. [Ca.] Veniet et uobis furor.